

No. 609. 1372. Jan.

Probst und Capitel bekennen, dass das Stiftsbauamt gegen Einzahlung von 11 Schock Gr. die Verpflichtung übernommen dem Vicar Arnest jährlich 1 Schilling in Groschen zu zahlen, dieser Zins aber nach dessen Ableben zu seinem Jahresgedächtniss verwendet und dasselbe, da der Zins gering sei, mit einem gleichfalls gering dotirten eines andern Priesters verbunden werden solle.

Nos Heynricus praepositus, Nycolaus decanus totumque capitulum ecclesiae Mynensis recognoscimus et tenore praesentium publice profiteamur, quod discreto viro domino Arnesto ecclesiae nostrae perpetuo vicario vendidimus unum solidum grossorum Fribergensis monetae perpetui census pro undecim sexagenis grossorum monetae eiusdem de fabrica dictae nostrae ecclesiae per magistrum fabricae, qui pro tempore fuerit, sibi annuatim perpetue ministrandum, quem quidem censum perpetuum dictus dominus Arnestus ad usum suum, quamdiu vixerit, tollere et habere decrevit, post obitum vero suum eundem censum vicariis ecclesiae nostrae perpetuis et temporalibus in anniversario suo pro salute animae suae dandum deputavit. Sed quia dicta pecunia censualis modica est nec pro tanta multitudine vicariorum sufficit copiose, adiiciens desideravit et desiderat, quod suus anniversarius ad anniversarium alterius defuncti sacerdotis, cuius administratio etiam esset ita modica et exilis, si fieri potest coniungatur, et quod collecta, quae incipit, 'Deus indulgentiarum' etiam deberet dici et legi pro pluribus sacerdotibus, quae prius solum pro uno consuevit legi sacerdote. In cuius venditionis evidens testimonium praesentes litteras sigilli nostri capituli appensione duximus roborari. Datum Misnae anno domini M^o.CCC^o.LXXII^o. infra octavam epiphaniae, praesentibus discretis viris domino Jacobo Porczin perpetuo, domino Bertoldo, domino Joanni de Oschacz ecclesiae Misnensis temporalibus vicariis testibus ad praemissa.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Capitels an einem Pergamentstreifen.

No. 610. 611. 1372. 26. Jan. u. 1371. 28. Sept.

Der päbstl. Nuntius Johann Patriarch von Alexandrien fordert den Bischof von Brandenburg und dessen Capitel auf an den B. und das Capitel von Meissen als Beitrag zu den ihm in Gemässheit der eingeschalteten päbstl. Bulle von diesen gezahlten Tagegeldern alsbald 200 Goldgülden zu zahlen, und droht im Unterlassungsfalle mit strenger Ahndung.

Johannes miseratione divina patriarcha Alexandrinus, apostolicae sedis nuntius, reverendo patri in Christo ac fratri nostro domino dei gratia episcopo Brandenburgensi eiusque vicario, officiali, thesaurario, receptori, sigillifero et eorum locatenenti ac venerabilibus viris capitulo et singulis canonicis ipsius ecclesiae Brandenburgensis ac omnibus aliis et singulis ad quos praesentes litterae pervenerint salutem in domino et mandatis nostris imo verius apostolicis firmiter obedire. Noveritis, quod sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Gregorius divina providentia papa undecimus, nos ad partes Alamaniae Boemiae Ungariae et nonnullas alias pro magnis